

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

329

327

333

323

338

318

378

278

INCIPIT TRACTATUS DECIMUS,

428

continens Gesta peregrinorum et casus varios per mensem
Decembrem, et navigationem maris et caetera.

228

December in prima sua die rigidus et durus nobis fuit, augmentati sunt enim venti inutiles et aura hiemalis facta est, sub qua navigatio secura fieri non potest. Ea namque die defuscari nubibus coelum et solis praeclarum jubar deficere, turbari ventis aëra, audiri silva, mugire solum et quodammodo in cavernis tumultuari et omnia reliqua repente tristari coeptum est. Mane autem in ortu solis de alia classe navigaverunt multi ad littus et caedentes ligna de saltu et erectis palis super maris littus in plano coquinam fecerunt, ignem accenderunt et pro grandi convivio paraverunt. Interea dominus capitaneus classis Syriae misit nuntios in barcis per omnes galeas, et invitavit ad prandium alias capitaneos duos, scilicet nostrum Alexandrinum et Africanum, et decem patronos omnesque principales navium officiales et sibi notos. Ad hoc convivium mactaverunt ultra mille galinas, vitulos, oves et porcos, et de villis adducebantur necessaria. Cum ergo hora prandii advenisset, navigaverunt capitanei singuli cum suis tubicinis et patronis ad littus, et facta est magna hominum congregatio. Nam, ut praemisi, ibi erat capitaneus navium Alexandrinarum cum suis tubicinis, qui sub se habuit quatuor galeas pretiosis rebus oneratas et bene armatas; similiter capitaneus navium

Ende

Anfang

